

IX. *Anatomia senis decrepiti, annorum 109. facta Tiguri, die 2. Feb. 1723. A Joh. Jacobo Scheuchzero, Tigurino, Med. Doct. Matheſeos Prof. & Regiæ Societatis Socio.*

**S**UOS habent characteres varii ætatis gradus. A fluiditate ascendit homo fenſim per ſoliditatis varias mutationes, donec cum rigiditate & fibrarum veluti immobilitate amittat vitam. Nec contemnendi eſt uſus hæc in medicinâ conſideratio.

Accidit ante menſes aliquot, ut ob decrepitam ſuam ætatem & raram, in Noſocomium fuerit receptus *Johannes Leonbardus Vopper*, Rhætus, Sharanienſis ex cœtu Glantino Fœderis ſuperioris. Is juxta tenorem testimoni-  
 orum lucem primum vidit, **1. Maij 1614. A. 1634.** Metallî foſſor in venâ ſepultus, per horas 33. ſub terrâ jacuit: Mortuo, quam vivo, ſimilior inde protractus, propter Abdominis validam, quam paſſus eſt, preſſionem, inde ab illo tempore incontinentiâ urinæ laboraverat. **A. 1637.** iter fecerat per *Hungariam, Turciam, Terram Sanctam*, reverſus *Venetias*. Poſt **A. 1639.** militem egit ſup Capitaneo *Casparo de Monte*, in ſervitiis *Caroli Ducis Lotaringiæ*, in ſtatu *Mediolanenſi*, & **A. 1663.** in *Lufitaniâ*, ſub Colonello *F. Planta*. **A. 1682.** interfuit obſidioni *Viennenſi*, & in ultimo bello obſidioni *Landaviæ* & Cladi *Hockſtettenſi*. Ita vitam, per varios caſus & mille rerum discrimina, protraxit ſenex noſter ad annos 109. menſes 3.

In cadaverè obſervavimus, curſoriè veluti, (non equidem licuit per temporis anguſtiam ſectiioni diu immorari) ſequentia.

In

In abdominis cavo erat, parvâ quidem copiâ, serum sanguinolentum extravasatum.

Intestina tenuia fuere omnia inflammata, rubro colore tincta, & Duodenum præ primis integrum admodum dilatatum, internâ sui parte fracidum prorsus & gangrænosum; Omentum prorsus emaciatum, ut vix agnosci potuerit: Pancreas contractum: Hepar fanum: Vesicula fellis bile repleta: Ductus Choledochi eâdem turgidi, & tota vicinia Intestinorum & Mesenterii virore infecta, ut alicubi extravasata videretur bilis, cujus egressum in Duodenum invenire haud potuimus. Prope Pylorum, in Ventriculi superiore parte, aderat expansio veluti flatulenta, nuce juglandæ major. Renes sani, ut & Lien, cujus exterior membrana, jucundo admodum spectaculo, obsessa erat hinc inde maculis nivei candoris, magis minusque latis, quæ primo intuitu referebant pustulas Variolarum maturas, sed cartilagineæ prorsus erant duritiæ, & ultra superficiem reliquæ membranæ aliquantum elevatæ. Observo heic, antequam progrediar ulterius, non duntaxat rigescere fibras, & contrahi supremâ ætate, sed tantum non insensiles fieri; nemo quippe juvenilis vel consistentis ætatis pateretur inflammationem Intestinorum, qualis hæc fuit, absque acutissimo dolore, de quo tamen æger post senile delirium, quod aliquamdiu est perpessus, ad se ultimis vitæ diebus rediens, nihil est conquestus. Cartilaginea illa Lienis crusta manifesto est indicio, posse ita rigescere membranas, ut tandem indurentur.

Thoracis apertio non parum faceffebat laboris. Fuerunt quippe non solum Sterni illæ costosæ prominentiæ, aliàs cartilagineæ, heic planè osseæ, sed & cum ipsis Costis tantum non continuæ, indicio manifesto, Cartilagineæ fieri successu temporis osseas, quemadmodum membranæ & arteriæ fiunt cartilagineæ, & ex cartilagineis non semel osseas narrant Historiæ. Pulmones viridantibus passim

passim maculis obsessi, in utroque Thoracis latere, posticâ sui parte affixi erant Costis: Pericardium amplum & multo fero refertum, cujus & aliqua portio in cavo fluitabat Thorace. Cor ipsum vidimus satis amplum, imprimis Auriculas dilatatas præter modum, & tum hæc, tum Ventriculos sanguine concreto refertos, unde patet substituisse tandem sanguinis motum, propter defectum contractionis elasticæ in tubulis arteriosis, & Cordis machinam sanguini ad concretionem disposito expellendo non amplius fuisse sufficientem, imo propter nimiam resistantiam obrutam. Præstabat Tendinem illum, quo Cordi inferuntur arteriæ, vel osseum plane, vel cartilagineum saltem: Osseus sane, quod novimus, fit in Cervis adultioribus, unde Os de Corde Cervi. Et sanè aliquid tale offendimus, nimirum Valvulas semilunares, præprimis Aortæ, cartilagineas penè, præcipuè mediâ sui parte. Aortam ipsam descendantem observavimus valdè amplam, diametri duplo majoris, quam est Gula, Parisini circiter pollicis. Gulæ in stratâ passim erant Glandulæ lentiformes induratae. Amplitudo illa Aortæ indicat tardio rem ultimis fortè vitæ annis progressivum motum sanguinis, unde arteriæ, quæ propiores sunt Cordi, fuere sensim dilatatae, sicuti sæpe observamus dilatari adeo, ubi nimia est molis resistantia, ut in Aneurisina abeat egrediens è Corde Arteria magna.

Pergimus ad Caput, ubi prædura Cranii substantia rursus solito majorem poscebat laborem: Suturae, imprimis Sagittalis & Lambdoidea, erant fermè oblitteratae, nec prorsus penetrabant utramque Tabulam, ut nulla fuerit per illas è cavitate illâ magnâ Capitis perspiratio, & succus ille Ossium nutritius, inter fissuras Sutarum extravasatus, factus quoque fuerit osseus. Foramina quidem tria quatuorve satis ampla, in supremo vertice, ad latus utrumque Sinus Sagittalis, pollicis fermè distantia ab invicem visuntur, internam Laminam ad externam usque penetrantia,

absque quod ullum illorum utramque perforet Tabulam. Dura Meninx triplo ferè crassior fuit, quam est ordinariè, coriacea penè : Pia separabatur facile, nimio utpotè irrigata sero, à Cerebri substantiâ : Ventriculi omnes sero erant referti, quod fat magnâ copiâ quoque fluitabat in Cerebri basi, imprimis ad Spinalis Medullæ egressum. Plexus Choroides Glandulis pisalibus, Lymphâ coagulata refertis, erat obsessus : Septum pellucidum egregiè poterat conspici : Cæterum Cerebri ipsa substantia, imprimis interioris, flaccidior solito.

Innotuit mihi, inde ex quo obiit decrepitus noster, retulisse eum personis fide dignis, quod pater ejus, seculum jam supergressus, tres genuerit liberos, & ex majoribus pauci infra seculi ætatem obierint. Hoc certum est, nostro natam filiam *Mariam Magdalenam* ex uxore *Ursulâ Hirzeliâ* de *Naniken* pagi *Tigurini*, quæ S. Baptistinatis caractere signata fuit *Dieffenboæ*, 18 Aug. 1707.

F I N I S.

---

**L O N D O N:** Printed for *W.* and *J. Inmys*, Printers to the *Royal Society*; at the *Prince's-Arms*, the West End of *St. Paul's Church-Yard*.